



Silvia mea chara et obediens  
Friderico Ernesto Hoffmann  
in futurum usum praedictum  
consecrat pater.  
dissertationis his clinicas.  
M DCC LXXXIII. M. May.

Xc 37.

Q. D. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO CAROLO,  
BORVSSIAE PRINCIPE, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, RELIQA.

PRÆSIDE  
FRIDERICO HOFFMANNO,  
COLLEGII MED. h. t. DECANO,

PRAXIN CLINICAM  
ET COMPENDIOSAM MOR-  
BORUM EX VITIO GLANDU-  
LARUM ET LYMPHÆ ORTORUM,

PRO DOCTORIS GRADV  
& honoribus impetrandis publico examini fistet  
JOHANNES CHRISTOPHORUS DEUTSCHBEIN,  
NELBENSIS MAGDEBURGICUS.

H. L. Q. C.

Ad d. Jul. Anni M. D. CC XV.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
TYPIS GEORGI JACOBI LEHMANNI, Acad. Typ.

VIRIS  
*PRAENOBILISSIMIS AMPLISSIMIS AC  
DOCTISSIMIS,*  
**DOMINO AVGUSTO**  
**DEVTSCHBEINIO,**  
*SERENISSIMO OLIM PRINCIPI AC DOMINO,*  
**DOMINO CHRISTIANO,**  
DVCI MECKLENBURGICO, PRINCIPI  
VENEDORVM, SCHWERINI ET  
RACEBURGI, COMITI SCHWE-  
RINensi, ET ROSTOCHII  
AC STARGARDIAE  
DYNASTAE,  
AB EXPEDITIONIBVS SECRETIORIBVS.  
*NEC NON*  
**DOMINO CHRISTOPHORO**  
**DEVTSCHBEINIO,**  
I V L.

PATRVIS, NVTRITORIBVS AC FAVTORIBVS SVIS  
PIE DEVENERANDIS,

DISSERTATIONEM HANC INAVGV-  
RALEM D. D. D.

*Johannes Christophorus Deutschbein.*



# CAPUT I. De C A T A R R H I S O B S E R V A T I O N E S.

## I.



Atarrhi sive secessiones & defluxiones seri plus minus acris, occupant maxime quam plurimis glandulis obfitas partes, ut sunt fauces, nares, asperaque cum larynge arteria.

2. Quando ex narium sinu multum seri effluit, excitato simul sternutamento, coryza dicitur.

3. Coryzæ plerumque, ob vicinitatem, neque minus ob similem in tunicis asperæ arteriæ & laryngis seri decubitum, jungitur tussis in principio siccior & vehementior, quæ successu temporis, propter accessum humidi viscidioris contemperata acredine, remissior evadit.

A 2

4.Nul.

4. Nulla pars corporis lymphæ stagnationibus magis patet, quam caput cum faucibus, siquidem inclemenciam aeris quam maxime expositum est.

5. Raucedines & coryzæ circa veris & autumni ingressum familiares sunt & tunc plus quam aliis anni temporibus, quod is aer intemperior est atque tempestates multum variant, quas motus argenti vivi in barometro inconstans per quam curiose indicat.

6. Nihil ad catarrhos gignendos aptius est frigore, corpori calefacto incautius admisso, vel si austrinam tempestatem diuturnam subito septentrionalis ventus excipiat.

7. Imminentem coryzam lassitudo spontanea, cutis horripilatio, pedum refrigeratio, dolor gravatus capitis, vox rauca & aspera, alvus adstrictior, appetentia aueta & stimulus ad urinam frequentior, nec non celerior sub vesperam pulsus, declarant.

8. In catarrhos febremque catarrhalem facile incidunt, qui vere & autumno, post secundam venam, rigido & ventoso celo corpora objiciunt.

9. Graviter luunt a catarrhis sanguine abundantes & qui intemperantiae, praesertim vinosæ, dediti fuerunt, neque minus qui falsis ac acidis cibis delectantur.

10. Malum hoc diutius affligit scorbuticos, hypochondriacos: eo quod succi eorum a temperata dulci indole maxime deflectunt.

### C V R A T I O.

Quum nihil æque stagnantem lympham in ordinem redigat, quam blanda & continuata diaphoresis five libera

libera perspiratio, hinc omni modo ea procuranda est; deinceps ne feri subsistentis acrimonia gravius lædat & irritet partes delicatoriæ ac molliori sensu præditas, temperanda ac diluenda ea omni solertia est.

*Huius scopo satisfaciunt sequentia.*

1. Bibat æger frequentius decoctum hordei excorticati cum passulis & radice liquiritiæ factum, largiori paulo quantitate, singulis vicibus sumendo cum ipso elixir pectorale, quod ex essentia croci, tinctura tartari, essentia nucistæ, spiritu salis ammoniaci anisato & oleo fœniculi compositum est.

2. Pulvis temperans circa noctem offerri potest sequens: recipe cornu cervi philosophice præparati, lapidum cancrorum, antimonii diaphoretici ana drachmam unam, succini præparati drachmam semis, lactis sulphuris grana decem, olei macis guttas quatuor. Misce, fiat pulvis, cuius dosis est drachma semis usq; ad drachmam unam.

3. Alvus obstructa aperienda est, vel clystere moliente, vel manna, in aqua veronicæ aut decocto cornu cervi hordeaceo dissoluta, sumere vero minimum pro una dosi uncias duas vel tres mannae convenit.

4. Urgente tussi sicca, eaque ferina, nihil convenientius est ad eam moderandam electuario, quod syrpus violarum, saccharum cantum, sperma ceri, oleum amygdalarum dulcium debita dosi ingreditur, adjecta pauca quantitate croci & olei anisi, fœniculi, vel nucistæ; hujus usus frequentior sit, deglutiendo illud, quo asperæ & acres fauces demulcentur.

5. Validiore & diuturniore per noctem tussi molestante, optimo praesidio sunt pilulae, quae de styrace inscribuntur, ad grana decem pro vice sumendae, quia harum ingredientia delinienda humorum acrimoniae & secundae convulsivae pectoris motioni apprime dicata sunt.

Nil celerius hoc malum depellit quiete, abstinentia & moderato calore.

### C A V T E L Æ.

1. Frequentiam catarrorum, quibus plethorici subinde obnoxii sunt, sanguinis missiones, debito tempore & regimine observato instituae, quam optime arcent. Cave vero ne sanguinem praesente malo mittas. Siquidem diuturniorem morbum illud progignere non una nos docuit observatio.

2. Omnia acria, salsa, acida, spirituosa, purgantia, frigida evitentur sive malum sub tempestate epidemia catarrhalis metuendum, sive jam praesens vel proximum fuerit.

3. Laxantia, & quae alvum sollicitare solent, consutius in fine quam in principio exhibentur.

4. Valentiora, & ex metallorum vel mineralium familia deprompta, turbando naturae criticum motum, ad suscitandam primis in viis inflammationem aptissima sunt.

5. Copiosa remanente per tussim expectoratione vel ex naribus defluxione, commodissimum est alvum pilulis balsamicis crebrius sollicitare, quo humidum vel viscidum abundans ad interiora loca, magis congrua, divertatur.

### C A P . II.

## CAPVT II.

## DE RHEV MATISMO.

## OBSERVATIONES.

## I.

**R**Heumatismus est dolor plus minus vagus vel fixus, in articulis æque ac in eorum membranis ac ligamentis, a stagnante vel extravasato ibi sero acrisalfo suscitatus.

2. Occupat rheumatismus frequentius membranas, musculos, & articulorum ligamenta, cum dolore, tumore, rubore, imo febre, vigilia, reperta post mortem in superficie muscularum gelatina concreta non adeo medocri.

3. Adoritur frequentissime juvenes plethoricos, intemperantiae deditos, habitu corporis laxiori & spongiosiori gaudentes, & quibus in pueritia vel juventute sanguis e naribus fluere solitus, desit, vel menses in foeminas suppressæ fuerunt; deinceps amicus est iis, qui febrem synocham passi sunt, & vini ac veneris deliciis nimium indulserunt.

4. Non confundendus est rheumatismus cum podagra, utpote quæ magis est hæreditaria, senibus infesta, hærente materia peccante intra articulos, quæ in rheumatismis articulorum membranis magis insidet.

5. Haud infrequenti experientia notatum fuit in corporibus repletis & potu vinoſo obrutis, ventorum septentrionalium asperitati, noctu præfertim, se exponentibus graves & pertinaces rheumatismos in humeris ortos fuisse.

6. Spe-

6. Species rheumatismi pleuritis est spuria, quæ exterius costarum membranas & musculos infestat cum dolore, tussi sicciori & febre paululum remissori.

### C V R A T I O.

1. Tollitur dolorificum hoc malum, facta discussione seri acris, membranas infestantis, per moderatam & continuam diapnœsin. Deinde dolorum ac symptomatum sævitia, qua fieri debet solertia, mitiganda est.

*Cui scopo, que sequuntur, respondent.*

1. Maxime omnium in sanguinis exundantia, facta sectione venarum, educere ipsum convenit. Quod protinus dolorum ferociam non parum imminuit.

2. Præsente seri impuri copia alvus laxanda est, idque commode perficitur per purgantia, quibus Mercurius dulcis adjectus fuit, utpote hujus virtus per universum corpus dispergitur, inque minimis glandularum & vasorum ductibus viscidam pituitam resolvit.

3. Formula potest esse talis. Recipe gummi ammoniaci depurati, myrrhæ electæ, extracti panchymagogi Crollii, extracti rhabarbari, mercurii dulcis ana drachmam semis, corticis chacarillæ, succini, ana scrupulum unum. misce fiant l. a. pilulæ ex scrupulo uno numero 15. pro dosi.

4. Salsum quoque tartareum serum evacuant diuretica, unde thermarum usus in ejusmodi genere morbi proficuus admodum est. Sequens quoque mixtura magno est præsidio, quæ recipit tincturæ salis tartari vel loco hujus tincturæ antimonii acris unciam semis, essentiæ succini,

cini, croci ana drachmas duas. Misceantur. Dosis ad guttas 50. vel 60. fese extendit.

5. Serum acre, membranis atque articulorum ligamentis insidens, discutiendum est, cui muneri satisficiunt diaphoretica, quorum virtute blanda & successiva peccans materia exhalat, quem in finem commendamus liquorem nostrum bezoarticum, vel spiritum salis volatilis cornu cervi cum essentia succini mixtum & destillatum, cum liquore nostro anodyno æquali portione maritatum. Usurpari potest tempore matutino cum infuso herbarum calido.

6. Ad acrimoniam temperandam, neque minus ad internum aestum sedandum, pulvis præcipitans ex antimonio diaphoretico, conchis præparatis, non vero uestis, lapidibus cancrorum, nitro & cinnabari præparatus, utilissimus erit.

7. Pro potu infusum porrigendum est, quod radices sarsaparil: chinæ, scrophulariæ glycyrrh: ana uncam unam, seminis autem fœniculi unciam dimidiad habet. Concisa & contusa species dentur, harumq; drachmæ duæ vnæ mensuræ aquæ feruentis infundantur, aut vnica ebullitione coquantur.

8. Externe balsamum nostrum vitæ, vel loco hujus sequens linimentum dolenti & affectæ parti impositum non minimum afferet levamentum. Sume Spiritus vini rectificatissimi uncias duas, camphoræ drachmam unam, essentiaæ castorei, croci, nucifæ, Spiritus Salis ammoniaci ana drachmas duas: misce fiat linimentum.

### C A V T E L Æ.

- Eadem cura procedit si rheumatica affectio capitatis

B

tis vel faciei membranas infestat, ubi cum atrociori dolore febricula jungi solet. Consultius vero ducimus tunc venas sublinguales incidere.

2. In rheumatisino costarum, seu pleuritide spuria, quæ ad humerum usque sæpius extenditur, ex vena brachii, si vero lumbaris regio occupatur, tutius est ex pedis vena cruentem mittere.

3. Laxantia sæpius interpolanda sunt diaphoreticis, ut utrumque emunctorum maneat apertum, quod valde hoc in morbo proficuum est, quippe aucta diaphoresis alvus fit segnior, quum solutior semper perspirationem minuat.

4. Sicuti in omni morbo, qui partes obsidet externas, quique critico motu subortus fuit, magnam cautionem in topicis applicandis adhibere oportet, ita maxime id valet in rheumatismo atque arthritide. Rejicimus itaque omnia oleosa pinguia, emplastra saturnina, refrigerantia neque minus vesicatoria, scarificationes balnea quoque calida.

5. Nonnulli in hoc affectu frigida balnea magni faciunt, quia roborando partium tonum, impediunt quo minus peccans in partem debilem humor irruat. Quod tamen præsidium plus ad præservandum quam curandum accommodatum est.

### CAPVT III. DE S C A B I E. O B S E R V A T I O N E S.

**I**llis morbis, qui ex glandularum subcutanearum virtu-

ori-

originem petunt, merito Scabies annumeranda est, quæ pustulosa exulceratione, pruritu, neque minus dolore ac rubore cutis sese manifestat.

2. Dividitur scabies in humidam & sicciam. in illa ingens pustularum, quæ purulenti quid fundunt, est copia. Invadit maxime succi plenos, sanguineos sic dictos, spongiosioris habitudinis. Sicca vero temperaturis melancholicis, macilentioribus, senilibus familiarior & fit cum intolerabili sœpius pruritu.

3. Scabies est fructus vitæ sedentariae & otiosæ & si quis copiosius ingerat carnes suillas, fructus horaeos, laeticinia, salitas carnes. Contagio facile propagatur.

4. Dolor & pruritus augetur, aucto interno sanguinis fervore, quod fit per medicamenta sudorifera, vinum, spirituosa, aromatica, acria, nimium calorem lecti & hypocausti.

5. Repulsam & perperam curatam scabiem artuum tumores, anxietates præcordiorum, asthmata, febres, tumores hydropici, cordis palpitationes, colicæ convulsivæ subinde sequuntur.

6. In pueris & infantibus tinea capitis adstringentibus topicis præmature repressa, graves capititis affectus, dolorem, convolutionem, epilepsiam parit: at in scabie contumaci & recrudescente item in tinea capitis, sœpe numero glandularum colli & artuum tumor exoritur.

### CVRATIO.

1. Hoc modo dirigi ac institui debet, ut serum salsum & copiosum corrigatur & per debita emunctoria evacuetur.

B 2

2. Ut

2. Ut tonus cutis ejusque glandularum roboretur,  
& partes exesæ atque destructæ reparentur sive consoli-  
dentur. Quod cum felicitate, quæ sequuntur auxilia,  
exsequuntur.

1. Purgandum corpus est sequenti electuario. Recipe  
radicis mechoacannæ drachm. i. mercurii dulcis scrupul. i.  
extracti rhabarbarini drachmam dimidiam. Julepi rosa-  
rum, unciam i. Misce fiat electuarium, tribus vel quatu-  
or vicibus assumendum.

2. Sumantur radicum chinæ, scrophulariæ, glycyrrhi-  
zæ, sarsaparillæ singularum uncia una, herba tumariae, ve-  
ronicæ, utriusque manipuli duo, seminis sceniculi unciae  
dimidium. De quibus cum aqua tervida infusis bibat  
æger bis diebus singulis: Potest quoque decoctum cum  
aqua dilutum, pro potu ordinario sumi.

3. Misceatur tinctura sulphuris antimonii tartari  
sata & tinctura antimonii acris æquo pondere uncia una  
liquoris nostri anodynæ drachmæ tres, detur circa no-  
tum.

4. Fiat unguentum ex lithargyrio flor. sulphuris,  
tutia præparata singulorum drachmis duabus, cum bu-  
tyro non salito subigendis.

5. Exficcata scabie balneis utendum est, quæ parari  
possunt ex herbis quinque emollientibus, surfuribus &  
nitro.

6. In Scabie vero humida, aqua calcis vivæ & lixi-  
vium affundantur.

### CAVTELÆ.

1. Si pruritus est maximus Venæsectione utendum,  
quæ

quæ ratione circumstantiarum aliquoties repeti potest:  
in siccioribus sero lactis cum fumaria decocto uti con-  
venit.

2. In plethoricis & affvetis venæsectiones & scarifi-  
cationes locum inveniunt.

3. Caute cum repellentibus & sulphuratis agendum  
est, præsertim in initio & antequam colluvies serosa salsa  
evacuata fuerit.

4. In scabie sicca & nimio pruritu omnia expellen-  
tia, enulata, calida, nec non lignorum decocta nocen-  
tissima sunt, quia symptomatum vehementiam augent.

5. Utilis quandoque est pulvis absorbens ex anti-  
monio diaphoretico, lapidibus cancerorum, conchis præpa-  
ratis compositus, cui commode lac sulphuris admisceri po-  
test, prodest maxime ubi acidum in primis viis exspe-  
rans, auctioris appetitus causa fuerit.

#### CAPVT IV. DE GONORRHœA. OBSERVATIONES.

**E**st involuntarius seminis, sive liquoris semini ana-  
logi effluxus, ex vitio glandularum sic dictarum  
prostatarum & minimarum glandularum quibus  
urethra obsita est: oritur partim quod ipsæ nimis relaxa-  
tæ, partim quod erosæ & exulceratæ fuerint.

2. Quæ cum dolore, ardore, stranguria, lasitudine  
corporis ac inflammatione & putredine genitalium semi-  
nis profluxio fit, virulenta seu maligna vocari solet, &  
plerumque impuri coitus fructus esse solet.

B 3

3. Viru-

3. Virulentum miasma, suscepit ex fœdo coitu, protinus genitalibus sese insinuans, non modo lympham feminalem corruptit & acrem ac putridam reddit; sed & lymphæ universæ in corpore paulatim dispositionem p. n. induit, hinc ex coagulata putrida acri lymphæ, carunculæ, verrucæ, pustulæ, ulcusecula serpentia, glandularum erosiones, indurations & tumores testiculorum, dolores, tumores, ardores circa genitalia oriuntur.

4. In gonorrhœa, quæ dicitur virulenta, languor universi corporis fit, ac lasitudo omnes artus occupat, neque minus robur corporis animique minuitur, manifesto indicio miasma illud ex fœda venere contractum putridum, corpori ejusque vitalibus motibus quam maxime alienum atque inimicum esse.

5. Pro diversitate temperamentorum gonorrhœa non minus quam lues venerea alia habet symptomata. In sanguineis & cholericis, inque ætate juvenili facilius, in melancholicis & phlegmaticis difficilius tractatur. Et vi-  
tium hoc, quo altiores habet radices, eo major hujus contumacia animadvertisit, recens vero malum reæ tractatum facili negotio expugnatur.

6. Nil deterius est, quam nimis celeriter, ante expulsionem putidi contagii, opiatis aut nimium fistentibus tam internis quam externis, improvide fluxum cohibere. fiunt inde tumores non modo testium sed & glandularum inguinalium, & fundamentum luis sic dictæ venereæ hoc modo sternitur.

7. Observatione constat, interdum ipsum sanguinem cum liquore seminali prodire ab apertione forsan vasorum quæ ad prostatas abeunt.

8. No-

8. Notavimus feminis copiam cum urina prodiisse, adeo ut ingens fabuli quantitas in ea fuerit reperta.

9. Gonorrhœa male curata saepius in vesica ejusque sphinctere excoriationem vel exulcerationem resinxquit, unde continua fit puris viscidi cum urina effluxio, magno ardore stranguria ac dolore comitata.

10. Plerumque ab urina redditâ sœvus dolor in collo vesicæ atque urethra ab ejus acredine, erosas partes nimis stimulante, oritur.

### C V R A T I O.

1. Præcipua ac prima in hoc morbo medici intentione esse debet, ut tenue ac validissimum virus, seminalibus partibus insidens, cito ex corpore expellatur.

2. Læsæ atque relaxatæ nimium partes glandulosæ roborentur & esulceratae mundificantur ac consolidentur.

3. Symptomatum vehementia mitigetur. Hæc omnia exsequi promptum ac facile erit, modo sequentem infumendis medicamentis ordinem observemus.

1. Cura inchoanda est purgantibus, iisque, quæ non tantum copiam vitiosi serni corpore educunt, sed & balsamica vi putredini resistunt, quo fine nobis commendare visum est, sequentem formulam. R. extracti aloes, gummi ammoniaci, myrrhæ electæ, extracti ellebori nigri, extr. rhabarbar. mercurij dulcis, balsami de Copaiava ana drachmam semis, camphoræ grana XII. Misce fiant pilulæ ex drachma semis No. 20. Dentur. S. Pillen 20. auf einmahl.

2. Re-

2. Recipe Essentiæ succini concentratae Ess. piminelæ, balsami Peruviani, Ess. lignorum, tincturae antimonii acris ana unciam semis, camphoræ drachmam unam, olei ligni sassafras guttas XII. Dosis sunt sexaginta guttae ter de die sumenda.

3. Recipe terebinthinæ coctæ, rhabarbari Alexandrini, terræ sigillatae, coralliorum rubrorum, mastichis, succini, ossis sepiæ, balsami de Copaiwa, nitri ana drachmam semis, extracto tormentillæ liquidi scrupulum unum. Misce f. l. a. pilulæ, de die ter sumenda.

4. Recipe mercurii dulcis drachm. semis coque in decocto herbæ Thee, detur signetur, Wasser zum einsprisen.

5. Aqua calcis vivæ cum saccharo saturni, spiritu vini camphorato, mercurio præcipitato albo mixta magnum ad arcendam putredinem genitalium, exterius applicatum, est remedium.

### C A V T E L Æ.

1. Sub temperamento fervido, ætate juvenili, inque regionibus calidioribus & nimio aeris æstu abstinentium est fortioribus pellentibus, & balsamis calidis, sed hæc moderatius, non nisi cum emulsione semenum quartuor frigidorum, sunt usurpanda.

2. In frigidioribus & torpidis naturis frequentior balsamicorum poterit esse usus.

3. Recente malo & præmissa purgatione ac diaphoresi, nullum remedium facile superius est, ipsi succo semper vivi seu sedi majoris ad drachmas duas pro dosi, bis singulis

gulis diebus, cum juscule hausto. item pulvere rubricæ qui cum vino loco vehiculi sumatur.

4. Gonorrhœæ percuratio exquisitam victus & vivendi rationem desiderat, quapropter ab acidis, salfis, a fructibus horæis, lacticiniis, carnibus pinguibus præser-tim suillis, vino quoque, spiritu vini, atque ab nimia corporis & immoderata animi motione penitus abstinendum est. Quod etiam tenendum est, si fluxus jam cohibus-fuerit, alias facile fit recidiva & glandularum ingvinalium tumores, præsertim ab abusu acidorum, inde resultant.

5. Maximopere in hujus mali cura dissimilatio, quæ ex saturno parari solent remedia, ut sunt ejus sacharum, ma-gisterium, tintura antiphysica Gramanni, utpote quæ paulo majori dosi data, intestinorum tonum lædendo, co-licam convulsivam cum ilei metu non semel suscitarunt.

6. Præstat inedia & abstinentia contumacem & in-veteratam hanc fluxionem, non omisis temperatis lignorum decoctis, tractare, quam adstringentibus; nam harum usus ut plurimum male cedit.

7. Perversa quoque est curandi ratio, si quis nimis cito fluxum hunc sistat, & postea vehementiora sudori-fera subjungat, siquidem hac ratione putredo ad sanguinem fertur atque inde bubones & pustulæ venereæ facile simul consurgunt.

8. In calidis regionibus, & temperaturis succum ci-tri cum osse sepiæ vel conchis præparatis, commendamus.

9. In testium magno & duro tumore, præter pur-gantia mercurialia, fatus ex carminativis & emollienti-bus parati optimi sunt, nisi indolem scirrhosam tumor jam induerit.

10. Nihil plus negotii faceſſit chirurgis & medicis,  
ac ſi in meatu urinario carunculae ſubſiſtunt. Exterius  
nihil prætantius eſt cauterio actuali commode per in-  
ſtrumentum admoto.

CAPV T V.  
DE FL V O R E A L B O.  
O B S E R V A T I O N E S .

F Luor albus eſt defluxio ſeri viſcoſi, alias lactei, alias  
lividi & fetidi plus minus acris, ſtillantis ex uteri  
colli glandulis, ob nimiam eorum laxitatem atque  
ſeri factum ibi decubitum.

2. Hinc obſtruēto narium conſveto fluxu, albus  
fluor quandoque corripit foeminas: a partu quoque la-  
borioso, itemque a contuſione contrahitur.

3. Eſt fluor albus quaſi gonorrhœa foeminarum &  
rechte diſpœſitūr in benignam & malignam. Prior ſepe  
ſalubriter & critice in ſerofioribus, inque ſanis virginibus  
ac mulierculis contingit, & longo tempore ſæpe innoxi-  
durat. Posterior impurioris veneris ſoboles eſt, quæ  
arroſione, exulceratione & putredine genitalium, cum  
inſigni dolore & moleſtia, virulentiam ſuam oſtendit.

3. Chronica ſi fuerit fluxio ut plurimum cachexia  
ſubeft, quam decolor facies, diſſiſilis ſpiritus, palpebra-  
rum intumefcentia, corporis laſſitudo ac languor, men-  
ſiumque inordinata fluxio prodiunt.

4. Contumax malum, non modo languorem uni-  
verſo corpori, ſed & atrophiam & ſterilitatem infert, ple-  
rumque vero dorsi dolor hujus fluxionis comes eſt.

5. A

5. A fluore albo suppresso per balnea constringentia, aut alia fortiora cohibentia, insanabilem phthisin ac intestinorum inflammationem secutam vidimus.

6. Fluore albo perseverante, dum durat mensium fluxio, metus est gonorrhœæ minus benignæ: si vero ante vel post ipsam fiat, nec quicquam periculi alit.

7. Notavimus a fluore albo præmature cohibito, insecuram fuisse purpuram, qua sublata, pristinus fluxus reversus est.

8. Vidimus quoque ab eodem nimis cito curato, faucium inflammationem cum tumore, quibus curatis, pristina fluxio in ejus locum successit.

## C V R A T I O.

Hæc ita debet institui, ut

1. Maxime omnium utero, ejusque glandulis, tonum ac pristinum robur reddamus.

2. Intemperiem sanguinis & humorum corrigamus, serique impuri exundantiam per alias vias vacuemus. Ad hunc scopum obtainendum, pertinent sequentia: recipe tincturæ salis tartari sive antimonii acris unciam unam, essentiæ succini, opobalsami, lignorum, ana drachmas duas, olei ligni sassafras, guttas decem. Dentur guttæ 40, vel 50, singulis diebus.

2. Recipe Myrrhæ electæ, Mastichis, succini, extracti aloes, rhabarbari, balsami de Copæiva, pulveris charillæ, antimonii martialis cachectici, ana drachmam unam. Misce fiant l. a. pilulæ roborantes.

3. Sume radicis chinæ, sarsaparillæ, ana unciam u-

nam, glycirrhizæ, unciam semis: herbæ melissæ, urticæ mortuæ, rosmarini, ana manipulos duos, m. d. s. species zum Kräuter-Thee.

5. Suffimigia: ex mastiche, tacamahaca, olibano, succino, cinnabari, utero excipientur.

### CAVTELÆ.

1. Quando ex depravata ventriculi digestione ejusque infirmitate, præsertim post longiorem morbum, oritur fluor albus, stomachum roborantia, & quæ bene nutritiunt, præcipuum locum obtinent.

2. In cacheætico corporis statu intendenda quandoque vis purgantis est, stimulo emetico.

3. Si malignitatis quippiam subest, ea proficiunt, quæ lui venereæ tollendæ accommodata sunt.

4. Clyster uterinus, malo diutius persistente, egrum facit officium. Componi potest sequentem in modum. Recipe radicis aristolochiae utriusque, drachmas duas, gentianæ, zedoariae, drachmam unam, hederae terrestris, centaurii minoris, rosmarini, melissæ, arnicæ, artemisiæ ana manipulum unum: dentur species pro clystere.

5. Cavendum est in omni gonorrhœa, neque minus in fluore albo, a balneis, thermis, atque acidulis quia interno & externo usi, semper fere malo talia fuisse notatum est.

### CAPVT VI. DE LVE VENEREA. OBSERVATIONES.

**L**ues sic dicta gallica peculiariter infesta glandulosis lbcis,

locis, ingvina, nec non tunicam glandulosam faucium, narium, asperæ arteriæ, uvulam quoque & tonsillas occupat; neque frontis & totius corporis subcutaneis glandulis parcit, pustulas elevando, atque ulcuscula excitando:

2. In lue hac maxime omnium ipsa ossa atque eorum membranæ periculum patiuntur, neque tantum periculum sed & periosteum in tibiis acerbissimo dolore, vexantur, nihilque frequentius, quam quod ossa squamosa palatina erosa & consumta carie, intolerabili fœtore commixto conspiciantur.

3. Sicuti dolores, qui ex decubitu lymphæ fiunt, nocte potissimum exacerbantur: ita in lue venerea dolorum faces nocte maxime accenduntur.

4. Ut plurimum ex impuriori coitu feeda hæc lues nascitur, inque genitalibus primam sèdem figit: interdum vero, sed paulo infrequentius, nisi in infantili vel puerili ætate, contagione propagatur.

5. In climate frigidiori, præsente cacoelymia, gravior & curatu difficultior est, in locis vero meridionalibus & corpore bonis succis abundante minus truculenta expeditiorem sanationem admittit.

6. Multum interest, tam in gonorrhœæ quam in luis venereæ curatione, corporum & temperamentorum habere rationem.

7. Quo altiores lues hæc egit radices, & longior fuerit corruptela, ad ossa transiens: eo plus negotii & ægro & medico facessit: recentior vero facilius suscipit sanationem..

( 22 )

## C V R A T I O.

Sequenti methodo instituenda.

1. Lymphæ coagulum resolvendum, & glandulis minimisque vasculis insidens corrodens humor abstergendus est.

2. Putridum & corruptum, quod est in sangvine & lymphâ, per emunctoria, per sudorem, per salivam & alvum foras propulsandum est.

3. Caries ossium tellenda, & maligna ulcerâ sananda sunt.

Intentioni huic ea, quæ seqvuntur, quadrant.

1. Corpus purgandum est pilulis mercurialibus, quæ habent mercurium dulcem, extractum rhabarbari, ellebori nigri, fumariæ & gummi ammoniacum, singulis æquali pondere sumtis & fiant ex drachma semis pilulæ 20. alternis diebus sumendæ.

2. Mercurius noster diaphoreticus, cum electuario, vel pilulis ad grana quatuor, vel sex, singulis diebus, mane sumatur, desuper bibendo sequens decoctum, quod recipit radicis sarsaparillæ, chinæ, scrophulariæ, glycirrhizæ, ana uncias duas, lapathi acuti, angelicæ, pimpinellæ, levisticæ, ana unciam semis concisa & contusa dentur. Harum quarta pars in mensuris duabus aquæ decoquuntur, bibendo omni mane post usum mercurii diaphoretici calide mensuram unam, non neglecto regimine diaforetico. A meridie finita coctione, idem decoctum sumendum est, ita corpus perpetuo sudore difflit, neque facile molestus salivæ fluxus appetat.

3. Circa noctem tinctura antimonii acris, vel tar-

tari cum camphora sumatur, miscendo huic alia sequentem in modum. Recipe tincturæ antimoniæ acris unciam unam, camphoræ drachmam unam. Denturgutæ  
80. Urgente dolore & vigilia huic medicamento liquor noster mineralis anodynus, vel opiatum correctum ad miscendum est.

4. Si quis salivationis methodo hujus morbi sœvitiam averruncare cupit, is sequentes regulas teneat necessarium est.

1. Assumatur mercurius valde subtilis redditus, qui gravitate sua non altius insideat ventriculorum & intestinorum plicis, quare loco mercurii dulcis usitatisfimi commendamus mercurium præcipitatum album, qui fit ex solutione mercurii cum aqua forti tacta, adiecto spiritu salis ammoniaci. Flores quoque mercurii ab Unzero descripti magnæ sunt efficaciam.

2. Neque adeo magna sed proportionata ad vires ventriculi & corporis sumatur dosis.

3. Præparandum prius corpus est, exigente necessitate vel sanguinis missione, purgatione, imo balneis, dein accurata viætus ratio observetur, abstinentia ab omnibus acribus, falsis, acidis spirituosis, vino : animus sit liber ab omnibus affectibus & curis vacuus, aere fratur temperato. Præstat quoque in cura tempus verale & autumnale præ æstivo & hyemali eligere.

4. Loco potus sumatur decoctum ex sarsaparilla, radice chinæ, scrophulariæ, glycirrhizæ paratum discutiens.

### C A V T E L Æ.

II. Affectu magis inveterato existente, non modo fudo

sudoriferorum sed & salivationis usus longior esse debet.

2. Ante salivationem tophi ac duri tumores sunt emolliendi, quod cum balneis tum inunctione balsami antimonii optime perficitur. Caries ossium pulvere euphorbii, oleo caryophyllorum, vel candenti ferro tolenda est.

3. Ubi salivatio est adhibenda, purgandum prius corpus est, antequam sudoriferis fortioribus tenuiori humido privetur, præstat vero exhibere salivantia cum sudoriferis, vel potius hæc salivationi postponere.

4. Tutius est abstinere ab inunctione artuum cum mercurio, nunquam vero caput vel spina est inungenda.

5. Mensibus instantibus nunquam salivatio est mollienda.

6. Prægnantes & pueri salivatione abstineant, neque tamen omni mercurialiumusu ipsis interdicendum est.

7. Vestimenta post salivationem sunt mutanda, alias facile fit recidiva.

8. Præmissis decoctis & mercurialibus sanguinem depurantibus, facilis coalescunt ulcera.

9. Scorbutici, arthritici, hypochondriaci, senes cautiissime mercurialibus tractandi sunt.

10. Compescitur nimia salivæ fluxio pulvere ex floribus sulphuris & Theriaca cœlesti vel exhibito purgante ex manna & rhabarbaro.

11. Ad nimis relaxatam faucium & gingivarum carnem conferunt gargarismata, quæ parari possunt ex radice tormentillæ, mastiche, salvia, sanicula, agrimoniam, foliis myrti, radice glycirrhizæ, passulis.

12. Ad

**12.** Ad ulcera corrighenda venerea in faucibus nihil præstantius est, aqua calcis vivæ cum sacharo saturni, & mercurio præcipitato albo. Vitæ quoque balsamo, iungî frequentius exulceratæ faucium & uvulæ partes nec non amygdalæ debent.

**13.** Quando incipiunt ossa squammosa & palati corrodri & secedere, ipsisque acerius insidet humor, si phone spirituosum balsamum injiciendum est, quod a corruptione imminentे has partes eximie tuetur atque defendit.

## CAPVT VII. DE CANCRO. OBSERVATIONES.

**C**ancer glandulosas maxime partes & membranarum strata aggreditur, lente eorum texturam & substantiam corripiendo: Et est nihil aliud, quam tumor glandulæ scirrhosæ in putredinem corrosivam abiens.

**2.** Levis sæpe & minima cancri est origo dum ad subitum terrorem in mamma tuberculum exoritur, quod perperam externa tractatum in majorem duritiem abit.

**3.** Vidimus sæpe in foeminis ex diurno mœrore, ac mensibus cessantibus, principia cancri in mammis exorta quæ neglecta, vel minus recte tractata in perfectum cancerum accreverunt.

**4.** Glandularum tumor, si suppurationi resistit, neque vult discuti, pessimæ notæ est.

**5.** Tumor glandularum indolens si increscit, dole-

D

re

re incipit & humorem fundit, imminet exulcerationis periculum.

6. Mammarum tubercula non temere & inconsulto calidis, humidis, oleisque tractanda sunt, alias facile inflammantur, quæ inflammatio repellentibus profligata majorem affert duritatem adeoque malignitatem.

7. Liquor, qui ex stillat ex glandulis, plerumque corrosivus admodum est, ut linctea instar aquae fortis interdum corrodat & friabilia reddat.

8. Mammarum cancer saepe ingenti dolore, per intervalla plus minus erumpente, stipatus est. Constand & longior plerumque post se trahit hecticam.

9. Differt cancrosum ulcus ab alio ulcere mammorum, quod a lacte stagnante fit, dum minoris hoc periculi est. A sanguine vero putrefacto & partes conterminas corrupte fit cancer.

10. Propagato ulcere ad alas mors certo denunciari potest, hanc lipothymiae antecedunt.

11. Putrefactionem in cancro praesentem intollerabilis foctor arguit.

12. Neque cancer cum alio ulcere mali moris antiquo, fistuloso, carioso vel venereo est confundendus.

13. Qui cancro moriuntur plerumque lipothymis frequentibus ita debilitantur, ut ex nimia animi defectione tandem diem suum obeant.

### C V R A T I O.

Eo dirigi debet, ut dirum hoc malum corpore arcamus, cavendum vero est, ne praesens si sit irriterius.

I. Prae-

1. Præservant ab hoc in plethorïcis venæ sectio quæ maxime in fœminis ipsis, deficientibus, mensibus locum habet.
2. Præservat quoque infusi herbarum sanguinem corrigentium, frequentior usus.
3. Maxime vero vindicat corpus ab hoc vicio animus quietus ac tranquillus.
4. Præsente malo hæc omnia quoque observanda sunt & externe emplastra, quæ sacharum saturni, cerussa, minium, item crocus martis adstringens ingrediuntur, applicanda sunt.
5. Pulvis bezoarticus nitrosus cum camphora mixtus crebrioris sit usus, utpote qui ad arcendam inflammationem, putredinem atque dolorem secundum plurimum valet.
6. Nullum remedium certius & præsentis est ad curandum cancrum, quam ejus circumspecta a periti manu facta extirratio.

### C A V T E L Æ.

1. Nunquam irritandus occultus cancer est acribus, eo, quod semper affluxus & corruptio augeatur. Unde omnia corrosiva exedentia, venerea, arsenicalia tantopere celebrata exulent.
2. Exterius repentinus progressus serpentis veneni compescendus est, & morbus saltē longius protrahendus, si curari nequeat.
3. Opiata anodyna & exterius & interius minus proficiunt, quia vim putredinis augent.
4. Exterius repentinum progressum serpentis veneni

D 2

veneni

neni compescere oportet, & malum incurabile tantum longius protrahendum.

5. Extirpationis remedio dum demum relictus est locus, cum una alteraque glandula fuerit obsessa, ubi vero ad plures ipsasque subalares & musculos pectorales atque intercostales serperit contagio, mortem accelerat dilata crudelitas.

5. Si sectio locum habet, mature non vero sero, & postquam omnia conclamata sunt, ad eam est accedendum.

## CAPUT VIII. DE BUBONIBVS. OBSERVATIONES.

**T**umores, qui in glandulis inguinalibus conglobatis resident, & a nimia distensione minimorum, quibus constant, vasculorum a succis stagnantibus fiunt, vocari solent bubones.

2. Bubones sunt maligni vel benigni. Piores sunt pestilentiales. In chronicis virulentiae quoque non expertes semper sunt, sicut luis illae pernicialis gallicae & virulentae gonorrhœæ bubones frequentia sunt symptomata.

3. Benigni iisque critici, haud raro ab erysipelacea febre, neque minus a terrore exoriuntur. Utique, si cum symptomatum fiunt remissione, salutares sunt, vi morbi inde multum fracta. Si vero malum ab earum eruptione vel perdurat vel recidivam patitur, symptomatici a practicis vocari solent, & pessimæ notæ sunt.

4. Cautæ judicium formandum est, bubonibus primum.

rumpentibus, grässante peste. Consultius tum est ad omnia signa attendere, neque ex sola tumoris inguinalis eruptione pestis præsentiam adstruere.

5. Perniciale signum est bubonis pestilentialis si plumbeus vel lividus circulus illos ambit, sique recessunt, semper tunc ægri se deterius habent.

6. Differt bubo ab hernia intestinali quia hæc molles & indolens observatur & sumto inflante cibo increvit, & decubitu in dorso disparet, in bubone vero est dolor & tumor continuus.

7. Bubones venerei a gonorrhœa male curata & per adstringentia vel saturnina intempestive cohibita nasci solent, inde fit ut miasma illud venereum retentum succos in minimarum glandularum vasculis coagulans, ingentem tumorem producat.

### CV R A T I O.

1. Tumores ingvinalium glandularum cito, si fieri potest, discutiantur, vel ad maturitatem discussione negata reducantur: postea abscessus aperiendus mundificandus & consolidandus est.

2. Ad discussionem maltum facit potens sudoriferum, ut est spiritus Bassii, cornu cervi succinatus, aut noster bezoardicus.

3. Exterius discutiendi facultate pollet, præter spiritum vini camphoratum, cataplasma ex radice sigilli Salomonis, iridis florentinæ, bryoniæ, herba chærefolii, petroselini, farina tabarum, floribus sambuci, baccis lauri, semine carvi, camphora, cum vino vel aceto paratum.

D 3.

4. Ad

4. Ad maturationem vero bubonum conducunt emollientia, ut sunt emplastrum diachyl, simplex & cum gummatis, cataplasmata ex melle, croco, cœpis torrefactis, & theriaca paratum.

5. Prosum quoque animalia viva dissecta, & loco affectio admota.

### CAVTE LÆ.

1. In bubonibus, præsertim qui motu naturæ critico & cum febre sunt, nunquam venam incidere, vel alvum valide ducere convenit, neque magis repellentibus locus est relinquendus: facillime enim materia, quod saepe infelicitter cedit, repellitur.

2. Omania quæ acreidine & irritante principio imbuta sunt, nec non ex arsenico, & argento vivo parata, exteriori applicatione plus exitii, quam emolumenti afferunt. Potius dolor sistendus ac materia acris digerenda & temperanda est.

3. Bubones, qui venereæ luis socii sunt, quandoque vix intra mensis spatium in suppurationem abeunt. Opus tunc est validioribus emplastris quæ gummata acris, ut sunt opopanax, euphorbium habent.

4. Maturatione facta abscessus est aperiendus, neque tam diu sinendus est, donec sua sponte aperiatur.

5. Quando venereus bubo non satis mature aperitur, interdum dolor coxendicis cum febre continua & vigilia fit, nascitur quoque saepius ex abscessu fistula.

6. Inciso vase lymphatico stillicidium continuum sic lymphæ.

7. II.

7. Illa methodus & ratio curandi bubones valet etiam  
de tumore glandularum axillarum.

## CAPVT IX. DE PAROTIDIBVS.

### OBSERVATIONES.

**T**umores glandularum salivalium, quæ in genis re-sident & parotides vocantur, hoc nomine insig-niri solent.

2. Parotides ut plurimum acutis morbis superveniunt, rarius vero salutares utiles & critici sunt, sed potius vehementiam mali declarant unde: symptomaticæ dicun-tur, utpote cum morbum non solvant sed propter inten-sum dolorem & generis nervosi vicinitatem symptomata augeant. Neque etiam crebro tuta est ad superiores partes ab inferioribus translatio.

3. In peste atque malignis parotis plerumque est funesta, præsertim si suppurationi resistit.

4. Bonum earum signum est, si vehementia sym-ptomatuum se remittat ac febris minuatur.

5. In infantibus facilis abeunt in abscessum, diffi-cilius in adultioribus.

6. Sæpe prorumpunt parotides citra febrem & in-flammationem, in adolescentibus apricatione gaudenti-bus, mox nocturno frigori corpus objicientibus.

### CVRATIO.

Tumor parotidum non aliter ac tumor glandula-rum

rum ingvinalium tractandus est, quemadmodum in su-  
perioribus docuimus.

### CAVTELÆ.

1. Præservant in acutis a parotidibus sanguinis mis-  
siones & laxationes alvi cum manna & rhabarbaro. Mi-  
nus recte tractata parotis, quam maxime in scorbutico &  
sene, in ulcus callosum mali moris inque fistulam abit.

2. Sicuti in omnibus glandularum tumoribus, ita  
etiam in parotidibus, caute mercandum est cum merce-  
rialibus.

3. Parotidis abscessus in aure maturius aperiatur: a-  
lias, nimis magnus redditus, viam sibi deorsum parit in-  
deque gravior & acuta sit febris.


4. Id habent glandularum colli, nec non aurum tu-  
mores, ut paucas saepe intra horas in immanem molem  
ex crescant, fugaces vero sint & mox evanescentes.



OITAVO

ab aliis taurum suis non tolluntur  
aut





Uk 214



Sb

N.C.





ENTISSIMO,  
AC DOMINO,  
**ROLO,**  
CHIONE BRAN-  
LIQVA.

FEMANNO,  
DECANO,

**INICAM**  
**SAM MOR-**  
**GLANDU.**  
ORTORUM,

GRADV  
co examini fistet  
**DEUTSCHBEIN,**  
RGICUS.

CC XV.

ICAE,  
Acad. Typ.